

velint de novo applicent prout bono communi utilius viderint expedire, aut quomodo ipsi facerent si de novo ea fundarent, et extruerent. Hic quæstionis status, hic cardo difficultatis præsentis, cum hi ex una parte extincta cœnobîa, aut collegia semel desolata propugnent, alii extincta, et prioribus debita possessoribus defendant.

IX. Quod ergo collegia, et conventus sic desolati aut vi occupati censeantur extincti, et ad pontificem, vel sæcularem principem eorum bona devolvantur, ut applicet ea iis, quibus magis placuerit, in primis ex eo videtur deduci, quia Ecclesiæ sive sæculares, sive regulares, fundata jura, ac titulos habent, quæ dicuntur prælaturæ, præposituræ, prioratus, administrationes, officia, dignitates, canonicatus, beneficia, tum regularia, tum sæcularia. Horum titularum, jurium, ac beneficiorum collatio, institutio, ac possessio per ecclesiasticos prælatos fieri solet personis idoneis, et qualificatis. His singulis mortuis, aut cadentibus, jura ac tituli vacant, et manent in dominio Ecclesiæ particularis cujus tituli sunt, ita ut alio transferri non possint spectato jure communi, sed intra tempus a sacris canonibus præscriptum, alteri conferuntur, vel collatio, et provisio ad superiorem devolvitur. Si vero tota congregatio, collegium, vel conventus penitus cessaverit, sive solutus sit, tunc consequenter prælaturæ, administrationes, officia, et uno verbo jura, ac tituli extincti sunt, id est, penitus cessant, atque adeo non entis nullæ sunt qualitates, sed monasteria, et bona eorum vacantia Romanus pontifex, et sæcularis princeps assignare, et donare possunt quibus ipsi volunt. Nam jura omnia pontificia, et Cæsarea, omnesque sapientes ita sentiunt

quod congregationes istæ extinctæ sint: unde non iterum reviviscunt, et de jure nemini prorsus sunt debita eorum bona.

X. Item secundo, quod bona ista tamquam vere vacantia, et nemini debita censeri debeant, colligitur in primis ex quadam doctrina Bartholi, communiter recepta ab aliis doctoribus in lege ultima, num. xxii, ff. de collegiis illicitis, et lege ultima, §. Sicut, ff. quod cujusque universitatis, etc. ubi sic inquit: « Si collegia sunt, quæ possunt habere bona in communi, et nihil in particulari, uti sunt collegia religiosorum, in istis dissoluto collegio, remanent bona apud superiorem, vel cui ipse concesserit. » Et ita fuit observatum quando fuit destructum collegium Templariorum per summum pontificem, sunt enim bona vacantia, et ita debentur fisco, lege prima ff. de jure fisci. Eandem doctrinam approbat inter alios abbas Panormitanus in capite Recolentes, de statu monachorum; Petrus Ancharanus in capite unico De religiosis domibus, quæst. iv. Et alii specificè loquentes de religiosorum collegiis, seu monasteriis, quod eis dissolutis bona, quæ in communi, non particulari possidebantur, maneat apud superiorem, vel cui ipse commiserit. Constat autem morte, vel promotione omnium eorum, qui sunt de aliquo collegio vel conventu, talem communitatem, seu collegium omnino esse dissolutum, et extinctum, quia omnia ejus membra, ex quibus componebatur, jam non sunt: ergo bona, et jura eorum devolvuntur ad superiorem, scilicet Romanorum pontificem, vel sæcularem principem, qui fundavit, aut donavit ea, ut de iis pro libito disponant.

XI. Nec potest dici quod in jus horum bonorum pro collegio extincto, succedunt aliæ ejusdem ordinis

seu qualitatis personæ, verbi gratia, si sint religiosi, illi qui ejusdem possessionis, et ordinis sunt; si clerici, qui in eodem loco, vel provincia clerici sunt. Nam contra hoc fortius instauratur argumentum, quia licet verum sit, quod ubi bona sunt communicabilia intra eundem ordinem, seu religionem, etiam si extinguatur unus conventus, possint a superiore talis religionis ad alium transferri, sicut poterant etiamsi conventus non esset extinctus, quia bona illa communicabilia erant; tamen ubi bona sunt divisa, et independentia de uno conventu ad alium (ut in præsentibus supponimus) non habet jus in talia bona quilibet alius conventus, vel collegium talis ordinis, aut clerici illius loci, nam vere non sunt, nec aliquando fuerunt membra talis collegii, nec habuerunt successionem in illo; ergo neque jus, aut titulum habent ad talia bona, imo licet non per mortem naturalem, aut promotionem esset extinctum tale collegium, sed per vim essent mortui, aut spoliati, qui in illo vivebant, adhuc aliis clericis, vel religiosis ejusdem ordinis non poterat competere actio, seu interdictum illud possessionis recuperandæ, et restitutionis bonorum, quia interdictum, seu remedium possessorium, ut beneficium restitutionis, non datur nisi spoliatio injuste, aut hæredi, seu successori talis spoliati: lege prima, §. Dejicitur, et §. Interdictum, ff. de vi, et vi armata, §. Non autem, versiculo de hæredibus, institutione de perpetuis, et temporalibus actionibus: atqui reliqui religiosi, vel clerici, quantumcumque ad eundem ordinem, aut provinciam, vel civitatem pertineant, nunquam fuerunt spoliati, et vi dejecti, quia non erant de facto membra illius collegii, nec sunt hæredes, aut successores ipsorum, sed ad aliud collegium, vel conventum, seu gremium perti-

nent: ergo talia bona nec debentur ipsis, nec de jure possunt ab eis vindicari, atque adeo omnino debent censeri extincta talia collegia, et eorum bonorum dispositionem ad superiorem devolvi, id est, ad pontificem, vel principem sæcularem.

XII. Adde tertio, non posse unum collegium, vel monasterium religiosorum in aliud succedendi hæreditaria successione potestatem habere. Hoc enim duobus modis fieri posset: primo, ut census, seu bona recuperati, et vindicati monasterii, in vetera monasteria transferantur: hoc autem fieri nullo modo potest, nam monasteria ipsa separata sunt, et sicut canonicorum collegia mutuo hæreditates non capiunt, ita nec monasteria; nec majus vinculum est in unius ordinis regula, aut cæremoniis, quam in canonicorum, seu clericorum eodem sacerdotio. Secundo, posset fieri per hoc quod unius monasterii prælatus, aut superior jus habeat in aliud, cui tamen obsistit decretum Innocentii III, in capite finali De religiosis domibus: « Nec unus abbas, inquit, pluribus monasteriis præsidere præsumat. » Non ergo prælatus unius monasterii jus aliquod, aut dominium habet in aliud: ergo nec in ejus bona: ergo si illis tale monasterium spoliatur, vel vi, vel jure repetere ea nullo modo potest, cum non sit possessor, non possessoris hæres, non successor ab intestato. Quo ergo jure talia bona restituenda illis sunt, qui ad talem conventum nunquam pertinuerunt? Quod si unus ex talis ordinis prælatibus ea petere potest, cur magis iste, quam ille? Cum æque omnes aut jus possint prætere, aut jure ipso cadant, erit ergo bellum justum ex omni parte, aut sortiendum est de illis bonis si pro indiviso possidebantur, aut dividenda in partes, ut quis quid tollat.

XIII. In contrarium nihilominus tamquam firmissimum resolutionis nostræ fundamentum accipimus, quod ex synodo Chalcedonensi cap. xxiv refertur in capite Quæ semel xix, quæst. iii: « Quæ semel dedicata sunt monasteria cum consilio episcoporum, perpetuo debent manere monasteria. » Quo textu tamquam irrefragabili sanctione usus est Innocentius papa III, in brevi quodam suo directo ad Guillelmum archiepiscopum Rhemensem anno Christi 1198, ubi sic inquit: « Nos ut in abbacia castri Mosobin episcopatum erigere valeas, vel si malueris in eodem castro cathedralem ecclesiam, cui præficiatur episcopus, fabricare, liberam tibi concedimus facultatem, ita tamen quod ab eodem monasterio monachi, nullatenus excludantur, ne forte venire contra sanctiones canonicas videremur, quibus provida fuit deliberatione statutum, ut quæ semel Deo dedicata sunt monasteria, semper maneant monasteria, cum et hodie generaliter statuatur ut ordo monasticus, qui in aliquo monasterio secundum Deum, et Beati Benedicti regulam dignoscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. » Ubi sanctus pontifex non concedit indultum, seu privilegium aliquod contra jus commune, sed concedit privilegium canonis in ipso jure contentum, vel ex ipso jure deductum. Quod cum alias non constet in communi fuisse revocatum, videtur sine dubio tribuere jus, et actionem ad repetenda dicta bona, seu conventus, aut collegia ejusdem qualitatis, et professionis personis, quibus antea competebant, ut ubicumque dignoscitur conventus aliquis fuisse institutus, et per fatales, vel fortuitos casus spoliatus, vel defectus, remoto obice perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Indultum enim a jure be-

neficio non est alicui auferendum, de regulis juris in sexto. Nec debet quisquam jure suo sine propria culpa fraudari capite Jordane de consanguinitate et affinitate, cum glossa, et doctoribus.

XIV. Sistamus pedem paulisper (gravissimi auditores) antequam excrecentes istas spinas, et horrentem silvam veritatis falce succidamus, et unde tanta potuerit emergere caligo, et tenebrarum densitas, quæ meridianam obtegere, et offuscare conatur tam inculta, aculeata, et spinosa seges silvescere diligentius attendamus. Nempe non semel vox illa e serpentum cavea ab hæreticorum caverna prorumpens quasi inter sibilos gregum audita est, monachos inutilia esse terræ pondera, ventres pigros, stupidas pecudes, oportere proinde amoveri eos de medio, nec suorum monasteriorum restorationi deputari, utpote cum ex illorum doctrina, et morum observantia nec avita fides parentum restitui, nec religionis status ad quietum, et tranquillum ordinem, ac fundatam stabilitatem possit revocari. Voces sunt hæreticorum. Cum ergo pleno justitiæ cursu in veterem possessionem immitterentur, et edicto Cæsaris, et approbatione pontificis, et sicut olim filii Israel edicto Cyri regis Persarum muniti ascenderent in Hierusalem civitatem sanctam postliminio reparaturi, factum est ut non inimici solum, et hæretici, sed et populus terræ, ut dicitur 1 Esdræ iv, impediret manus populi Judæi, et turbaret eos in ædificando, ut conduceret adversus eos consiliatores, ut destruerent consilium eorum, illud ferme reclamantes, urbem illam, urbem esse rebellem, nocentem regibus, et provinciis, et concitari ex ea bella a diebus antiquis, et usque ad regem hanc noxam perventuram. Quid plura? Spargitur in vulgus in

ter plures aut oris dieteria, aut mentis expurgamenta, et illud pessimum elogium, a nullo genere hominum majus Ecclesiæ damnum illatum esse quam ab antiquis ordinibus, inde vires sumpsit confidentia, depulsus timor, audacia crevit, atque in lites controversiamque itum est. Videre jura, decretaque everti, verba privilegii canonis, et foundationis amplecti, et contra eorumdem voluntatem cum præjudicio immunitatis ecclesiasticæ commentarios scribi, sacris canonibus per expressam contradictionem, seu contrarietatem vim inferri. Denique uno verbo cælum zelo destrui, grandi cum errore, majori fundamentorum injuria pontificum, imperatorum, ordinum, Ecclesiæ totius.

XV. Quod ergo collegia, communitates, monasteria, conventus, si spoliata, aut desolata sint debeant ejusdem professionis, et qualitatis personis restitui, non vero ad arbitrium voluntatemque principum reduci, ut disponant pro voluntate sua, ex variis canonicis juris textibus non erit difficile comprobare. Et in primis ad hanc rem illustris textus est in capite Inter quatuor, de religiosis domibus, cui titulus, seu rubrica præfixa sic est: « Locus religiosus debet reformari de religiosis dumtaxat, non de sæcularibus, nisi in defectum religiosorum. » In contextu sic inquit pontifex: « Quamdiu monasteria per regulares remanere potuerint ordinata, non sunt ad sæculares clericos transferenda, sed si regulares defuerint propter eorum defectum in eis sæculares clerici poterunt ordinari. » In quem locum glossa, et abbas Panormitanus dicunt, quod quærebatur a domino papa utrum Ecclesiæ regulares possent fieri sæculares, et nota, inquit glossa cum communi, quod Ecclesia debet semper reformari per homines ejusdem professionis, et no-

men reformationis significat institutionem, provisionem, seu ordinationem, prout idem in eodem sensu usurpat abbas in capite Conquerente de officio judicis ordinarii sub numero secundo, et in capite Ecclesia, de electione, numero sexto. Et communiter ita intelligunt canonistæ, et glossa in capite Statuimus, verbo Quæritur xix, quæst. iii. Pulchre ad rem nostram idem abbas super textum citatum, ex capite Inter quatuor, explicat quid faciendum sit antequam sæculares introducantur in Ecclesias regulares: « Oportet, inquit, prius servari certos gradus, cum ista littera indistincte dicat: Quamdiu per regulares, etc: ut reformetur prius locus de regularibus ejusdem monasterii: secundo, in defectum eorum de regularibus aliorum religiosorum ejusdem ordinis: tertio, deveniendum est ad regulares alterius ordinis: postremo, in defectum omnium regularium poterunt institui clerici sæculares. » Hæc Panormitanus, et ibidem glossa Innocentii, et alii. Est enim (ut inquit idem Panormitanus ibidem:) « Ambulandum in Ecclesia Dei, de virtute in virtutem, ut sic potius sit ascensus, quam descensus. » Qui adhuc clarius seipsum explicat ibi verbo regulares, cum ait: « Per idem verbum regulares, dicendum est textum habere locum in omnibus regularibus ejusdem ordinis, id est, quamdiu possunt inveniri regulares ejusdem ordinis, non esse ponendos alterius ordinis. » Idem verbum regulares, eodem modo explicat glossa in capite Statuimus xix, quæst. iii, in verbo Quæritur.

XVI. Unde videas rem hanc habere quamdam similitudinem cum patrimoniis, et hæreditatibus in jure civili positis, et ordinatis, in quibus primo loco succedunt parenti defuncto filii, aut descendentes, his deficientibus, ascendentes, vel collate-